Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2185
Quelle:
Copyright:

de Poenitentia dictos cum Litaniis SS. Officium Mortuorum, Officium de Cruce prolixius, Missam de S. *Maria* cum pluribus aliis precibus, quarum ultima *la Laude del nostro segnor iesu cristo*, quae incipit:

Con desiderio i uon cercando
De trouare quello amoroso
Ihesu cristo diletoso
Per cui amore uo suspirando
&c.

Sub Icone Psalmis Poenit. praefixa visuntur Capita duo se respicientia, virile et muliebre, supra literis PH. infra C. signata, quae, nisi ex antiqua gemma depromta sint, fortasse Libelli Possessores notant.

DCCCCXVII.

C. 951. Codex membraneus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 205. 4to. luculente exaratus, auro, coloribusque ad miraculum varius, Iconibusque XLII. ea venustate pictis ornatus, ut sumtum aegre dimittas e manibus, adlatus e Parthenone *Halensi Tyroleos*, ubi κτημα fuit *Magdalenae* Archid. Filiae *Ferdinandi* I. Imp. defunctae a. 1590. ut nomen praescriptum testatur, varia continet pietatis Exercicia conscripta jussu *Wilhelmi* I. utr. *Bavariae* Ducis, conjugisque ejus *M. Jacobinae Badensis*; ita enim e praefixis Insignibus arguo, artificem penicillum vero commodante *Alberto Glockenton Norimbergensi*, qui in *Füsslinianо* Artificum *Lexico vernac.* non nisi Chalcographus et Formarum Incisor audit. Nam ita *Codici* praescriptum legas: *Volenndt vnnd Illumynirt Ann vnnser frawenn tag Liechtmess. Im Jar. 1535. Durch albrecht Glockendann zu Numrmbergk.* (sic) *Gott Sey lob vnnd Eer in Ewigkait Amen.* Insignia mox supra dicta excipit *Tabula Festorum mobilium* producta usque ad an. 1600. *Calendarium* adpictis nitidissime Signis Zodiaci, et Georgicis, et Versus memoriales de ratione anni, mensum, temperamentorum, valetudinis &c. Tum demum Officium de B. V. *Maria*, per quod distributae Icones Historias N. T. referentes figuris V. T. apte circumdatae sunt. Placent *fol.* 54. p. 2. Angeli Palmae Cacumen inclinantes, ut *Joseph* in *Aegyptum* profugus cum *Jesu* et *Maria* fructus decerpere possit. Psalmis dein *Poenitentiae* respondent Icones e vita *Davidis* depromtae; at vero ad Psalmum *ultimum* lectulus Principis moribundi depictus est, adstante alio Principe adolescente, qui Pater *Albertus* II. dictus *Sapiens* et *Wilhelmus* noster Filius haberi possint. In remotiore, Iconis parte conspicitur Pontifex max. Imperatori coronam imponens, certe *Carolo V. Bononiae* 1530. Neque id a *Codice* alienum, cum mater *Wilhelmi Cunegundis Austriaca* fuerit. Dein Litaniae